

(1) Vides quot Ver-
sibus Homerus, quot Vir-
gilius arma hic Aeneae,
Achillis ille describat?
Brevis tamen uterque est,
quia facit, quod instituit.
Vides ut Aratus minutissi-
ma etiam sidera conse-
cetur, & colligat. Mo-
dum tamen scribat, non
enim excelsus, hic est
sed Opus ipsum est. Simi-
liter nos, (ut parva ma-
gnis conferamus) cum
totam Villam oculis tuis
subjicere coamur: si ni-
hil inductum, & quali
devinum, loquimur non
Epistola, quae describit;
sed Villa, quae describitur,
magna est. *Plin. lib.*
1. Epist. 6.

(2) Sic enim corpus,
quod aeris puritate per-
fruitur, sanius fit... Si ve-
ro potiat acere purgato,
& florentibus pratis, &
hortis virentibus, & fon-
tibus inter amena fluen-
tibus, saniores, multoque
majori acri fulgore tu-
tilate. *S. Christoph. tom. 2.*
post med. Hon. 2. in Matr.

Magnam esse locorum
ad ferendos meliores, pe-
ioresque homines... Quip-
pe alij varietate vento-
rum, & turbinae, difficil-
es, & protervi sunt: alij
propter cibos, qui ex
terta, non solum corpori-
bus commodi, oriuntur,
verum animis quoque
non minus. *Plato in fine*
3. Dialogi de Legibus.

Optima enim tempe-
ries non corpori solum,
verum etiam intelligen-
tiae hominis prodest. *Ar. 1.*
in Problemat. 1. scilicet 14.
Quaest. 1.

Athenis tenuerunt caelum, ex quo acutiores etiam putantur Aetici: etiam Thebis: itaque pingues The-
bani, & valentes. Idem Agraria 2. Num. 39. Non ingenerantur hominibus mores tam à stirpe generis, ac
seminis, quam ex ijs rebus, quae ab ipsa Natura loci, & à vitæ consuetudine suspenduntur, quibus alimur,
& vivimus. *Cicero lib. unico de Fato, Num. 4.*

Plutarch. ad med. libri de
exilio versus Euripidis Athe-
niensis.

Qui vero perinde patriam praedicavit suam us Euripides?
Est temperatum nostris caelum finibus
Ubi nec gelu nimium, nec arder cruciat.

Ingenia hominum sicut ubique, apud illos, locorum quoque situs format. *Quart. lib. 8. Num. 9.*
Nihil hac plaga infestus: atrox caelum, perinde ingenia Silvarum, & montium situs cum ingenie con-
tinebant. *Florent. lib. 3. cap. 2. & lib. 3. cap. 4.*

(1) Nec unquam magnis ingenis chara in corpore mora est: exitu, atque erumpere gestiant aegre
has angustias ferunt, &c. Quidquid ad summam venit ad exitum prope est. Eripit se, auferque ex oculis
perfecta virtus. Nec ut tunc tempus expectant, quae in primo maturaverunt. *Senec. Consolat. ad Marciam cap. 2.*

(4) In Hispania studia literarum eo culta non videntur, quem haec aetas nudis, & squalentibus Mitis re-
positis. Non enim Latine eloquentiae studium ibi viget, non venustas Poeticæ, non Historia, praeconiumque
rituum utilitas, & robusta lepiditas; veterem, ac penè barbaram in quaerendis Scienciae rationem obliant. Pa-
riolophiae incumbunt, Theologiam amant, non spernant Legum, & Canonum peritiam. *Barclaus in Icone*
Animorum, post medium cap. 7.

(5) Mexicanae Regionis summam amenitatem, omnium rerum in ea ubertatem, aeris suavissimam
temperiem, ingenium incolarum ad omnes artes apertum praedicat. *Dyffens in Relatione Itinerum Edit. Paris.*
ann. 1718. apud Eruditos Lipsia Tom. 19. in mense Octobris pag. 463.

primo vivat idem color, & spiret adhuc Virgi-
nea in facie decor ille, & majestas quibus cum
olim è divini Artificis prodiit ingenio. Quare
hoc Virginis simulacro fortunatos se Mexica-
ni ducunt, & inlytos; cum praesertim eorum vo-
tis Regina Clementiae adspiret misericordiae.

Post quae BELGA conversus ad Italum. Quin,
Tu etiam, ut alij alias, versiculis aliquot Urbem
tibi charam, & amicam exornas? Opportune
quidem me admones, nec extra oleas; nam si
quidquam in me est gratiae, & amoenitatis poe-
ticae, è pratis haece, ac viridarijs Mexicanis ha-
bere me intelligo.

*Ergo alias Urbes pulcras clarasque Poeta
Fecere ingenis, carminibusque suis
At, Tu, cui Caelum ridet, formosior omni
Ingenio, ex quovis Carmine major eris.*

H. Et haec (quamvis pauca) memoriae florentif-
simae Urbis consecrare fuit visum, in qua, scili-
cet, ultra Quadraginta jam annos divinis, hu-
manisque literis institutus sum à Majoribus.
Quod autem parum in his profecerim, causae,
aut in Discipuli tarditatem, sunt rejiciendae, aut
in Aegrimoniam, illam diu philosophantium
decimam Musam.

ANTELOQUIA OCCASIONEM OPERIS,

ARGUMENTUM, METHODUM,
Caetera ijs affinia opportune
aperientia.

ANTELOQUIUM I.

Occasio scriptionis pro-
palam ut detur, Emma-
nuelis Martini Ecclesiae
Alonensis Decani Epi-
stola XVI Libri VII, quae
habetur tom. ejus II,
excribitur.

Alia quidem omnia à Bibliotheca Mexica-
na cogitabamus, Academicis intenti nego-
tibus, & Theologicis elucubrationibus cum
è suggestu quotidie dictandis, tum etiam commi-
tendis typis operam dantes, Concionibus sacris
idque genus alijs Theologicae professionis pro usu
nostro insistentes: Quòd verò amantioribus dele-
ctati libris & elegantiori compus latinitate, succil-

siya in eis tempora oriaque ponere solumus, in Emmanuelis Martini Ecclesie Alonenis Decani Epistolarum libros duodecim Mantuæ Carpentanorum apud Joannem Stunicam anno 1735. profucos incidimus, quos non absque egregia animi voluptate combibere incepimus, & gravatè licèt ea tulerimus, quæ in Scholarum Professores nonnunquam scribit, & in Hispanorum dedecus, quod ad rem litterariam spectat, haud semel jacit; pergebamus tamen, & inchoatam lectionem persequeremur; hæc verò coacti sumus, & morosius circumspicere chartam, ubi ad Epistolam 16 lib. 7 offendimus, quam tamen iterum & iterum non sine bili & stomacho deglutivimus, lectam recogitare placuit, & memoria tenere, atque in ipsam seriò pacatèque inquirere. Ejus ita habet inscriptio: *Emmanuel Marinus Antonio Carrillo, egregia indolis adolescenti & amore.* Totus in ea Epistola Martinus est, ut adolescentem illum in novum Orbem trajecturum, ab hocce consilio removeat, & aptum natum capeffendis litterarum studijs, Romæ constituat, & à Mexiceis oris quam longissimè abducatur. *Sedeamus igitur ad calculos, inquit. Quò te vertes apud Indos in tam vasta litterarum solitudine? Quem adhibis, non dicam Magistrum, cujus præceptis instituaris, sed auditorem? non dicam aliquid scientem, sed scire cupientem. Dicam enucleatius: A litteris non abhorrentem? Equosnam evolves Codices? Equas lustrabis Bibliothecas? Hæc enim omnia tam frustra quæres, quam qui tondet asinum vel mulget hircum. Eugepat! Abjice has nugas, atque eò iter converte, ubi & animum excolere queas, & honestum vitæ subsidium tibi parare, & novos honores capeffere. Adhæc tu. Ubinam gentium*

contingere nobis hæc possunt? Romæ subjunxi. Post alia verò quæ Antonio suo Romæ versaturo documenta præscribit; *Ea tu, inquit, cum pro mitissimo tuo ingenio atque egregia indole, singularique in nos studio ac benivolentia, patrueris; ita tamen cum animo tuo reputa, non te iccirco urbem petisse, ut vias & compita tereres, ut inertem vitam ageres, ut in salutationibus cæterisque candidatorum officijs contabesceres. His enim artibus quid refert Romæ sis an Mexici? Scilicet, cum latissimè Indiæ Occidentis extendantur & pateant, nec dum Martinus in Epistola sua Insulam, Urbem, Pagum, aut Oppidulum stylo signasset, quò se Antonius apud Indos conferre vellet, Mexicum tandem indigitavit, postremam, si Superis placet, totius Orbis barbariem, cimmericis inscitæ tenebris involutam, rudissimam, si quæ aliquando fuit aut olim est futura, gentis domicilium & sedem, quæ inauditis retro præstigijs, veluti objecto Medusæo capite capiti cuique Hispano, Gallo, Belgico, Germano, Italo, & cujuscvis Europeæ gentis eruditissimo etiam & excultissimo, ad unum omnia dementet, belluisque insipientissimis quam similima reddat lacrymabili prorsus metamorphosi. Hæc postquam animo versabamur, Epistolâ Martini perlectâ, statim cogitatio nos subjicit Bibliothecæ Mexicanæ adoriendæ, qua una Patriam gentemque nostram ab immani atrocique injuria vindicaremur, turpissimamque notam per summam imprudentiam, ut modestissimè loquamur & pacatissimè, nobis injustam esse commostraremur. Quòd verò multi moliminis Opus cogitatam Bibliothecam non nesciremus, homini præsertim alijs, quæ nuper insinuavimus curis, distri-*

*
cto,

do, & infirmâ valetudine conflictato, nec Ho-
ratianum negligendum monitum duceremus. *Sumi-
re materiam vestris qui scribitis aquam viribus, & tentate
diu quid ferre valeant, quid ferre recusent humeri;* ad ami-
cos, eruditione unâ & iudicio pollentes, delatâ re,
audendum nobis esse, & totis viribus coniten-
dum, est constitutum, iactâque in Deum fiducia,
pro ejusdem honore ac gloria meditatam Biblio-
thecam excolere palamque dare, quæ Nationi ma-
chinatam nostræ calumniam ab Decano Alonen-
si contundat, coerceat, obterat, & in auras & fu-
mum abjiciat. Etsi enim ipsam Eruditi quique &
prudentes viri cujusvis Nationis & gentis litteris
expolita, despiciatui habituri sint, explosuri, nec
sine cachinis audituri aut lecturi, verendum est
tamen, ne similes aliqui Emmanueli Martino in-
veniântur, omnem qui eruditionem suam & do-
ctrinam ponentes in Latinæ & Græcæ Linguarum
cultura, Poeseos amantitate, & Romanarum ins-
criptionum veterum eruditione, cætera negli-
gant omnia, & nescientes prorsus notissimas doctis
viris Historias & res, unâ cum Alonensi Decano
gradiantur sententiâ, præjudicijsque ducti & furo
ab ejus Epistola facti, eosdem errores imbibant &
evulgent. Sed antequam Operi accingamur, quod
& imprudentiam Martini, & ignorantiam de re-
bus nostris, & temeritatem etiam ejus scribentis
meridianâ luce clariora reddat; opportunum exi-
stimavimus nonnulla præfari, quæ statim legen-
tibus cuncta brevi subjiciant, insimulque consi-
lium & argumentum nostrum aperiant.

ANTELOQUIUM II.

Quanta Decanus Alonensis Mexica-
narum ignoratione antiquitatum la-
borayerit commostratur, priscorum
que eruditio Indorum nostratum ostē-
ditur Codicibus ipsorum & Bibliothe-
cis in theatrum productis.

Totus ferme ut erat Emmanuel Martinus
in eruderandis veteribus Orbis veteris
monumentis ac Romanis inscriptionibus
& antiquitatibus, Orbem novum fastidire visus est,
& quæ in ipso scitu sunt dignissimæ antiquitates,
penitus ignorasse, quas si unquam rescivisset, mi-
tiori credimus calamo usus fuisset & atramento, non
jam de Hispanis hominibus in America Mexica-
na natis aut degentibus, sed verò etiam de Indis
ipsis aliquando scripturus. *Quò te vertes, inquit, apud
Indos in tam vasta litterarum solitudine?* Persuaserat sci-
licet sibi Mexicanenses etiam post geminum secu-
lum & amplius, operâ Hispanorum excoli nondum
ac dædolari valuisse, quod stipitibus similes dedoce-
ri barbariem obfirmatè renuerint, atque ab insita
sibi ignorantia desciscere possint nunquam, perin-
de quasi è ligno conficti, è quo nullus Artifex
Mercurium efformet, ut subinde rondeat asinum
vel mulgeat hircum is qui eorum unum quærat
aliquid scientem, aut scire cupientem, aut à lit-
teris non abhorrentem, Ætiopemque lavet qui-
cumque Indos inter nostros Codices investiget,

aut Bibliothecas suspicetur & cogiret. Quam verò delusus fuerit homo eruditus, & Mexicanensium priscas res ignoraverit, calamistro ipse suo satis ostendit & oratione. Si enim vetera aliquando monumenta nostratum scrutatus esset, & conditas eum ab Hispanis, tum ab exteris Historias evolvisset, ineruditos neququam Indos Mexicanos cognominasset. Latuit quidem ipsos litterarum usus & elementorū, queis Europeæ Nationes & exultæ quæ que scribunt, ac memoriæ commendant res, Facultatesque & Scientias tradūt; non iccirco tamen rudes & impoliti fuere atque omnium expertes scientiarum, Codicibus destituti, & Bibliothecarum ignari. Hanc ob rem vir in paucis Clarissimus, Tlascalensium Episcopus primus, Illm̄s. D. M. D. F. Julianus Garces Ord. Præd. in Epistola ad Paulum III Summum Pontificem data anno 1533, quæ extat apud Illm̄m. D. F. Augustinum Davila Padilla in Historia Provinciæ Mexicanæ Dominicanorum lib. 1. cap. 42, & apud alios, in hunc modum scripsit: *Et quoniam eos (Indos Mexicanos) penitus litteras non didicisse prædixerim, palinodiam cano, pingebant enim, non scribebant, id est, non litteris sed imaginibus utebantur, si quid absentibus seu tempore seu loco memorabile vellent significare. Quod est Lucanus insinuat in hæc verba.*

*Phœnices primi, fama si creditur, ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris.
Nondum flumineas Memphis contexere Biblos
Noverat, & saxis tantum, volucresque feræque,
Sculptaque servabant magicas animalia linguas.*

Historiam porro Mexicani coluerunt & Poesim,

Rhetoricam item & Oratoriam, Arithmeticam, Astronomiam, & id alia, quarum extant monumenta clarissima, & testes omni demum exceptione majores, Anteloquio IV adducendi. Quo enim pollebant ingenio haudquaquam obtuso eorum primates viri Sacerdotio insignes atque muneribus, litterarum vice figuras & imagines admovebant rebus signandis aptissimas, easque lapidibus quandoque insculpebant aut lignis, sæpius pinguiori chartæ, temporeicæ nostræ simili, aut pellibus alutis, ceu membranis mollibus commendabant coloratas atque distinctas, & his quidem notis usus illis erat nihil non memoriæ commendare scitu dignum, unâque diem, mensem & annum, Historias texentes ab usque majorum suorum origine & in Americam nostram commigratione. Solenniores inter 5 Libros Nationis censebantur dædaleo planè opere Circuli picturati, singuli secula singula complectentes, annos distinctim, menses, hebdomadas, diesque pro ipsorum methodo, vix non in omnibus Calendarijs nostris conformi, quòd ad nucleum & substantiam temporum attinet, ut legere est apud subjiendos Authores. Hos inter nulli secundus D. Carolus de Siguenza & Gongora Mexicanus studiosissimè Circulis annalibus ad lydium Matheleos lapidem revocatis, collatisque cum antiquissimis Europæis Calendarijs, ab Solis Lunæque defectionibus, & alijs rarioribus phenomenis operâ Mexicanensium ad chartas jam pridem reductis, & nihilo à veritate rei discrepantibus, Mexicanorum rimatus originem, quam longissimè retro habitam, & Imperij

Mexicci eventus omnes & Historiam aperuit, de
qua in loco dicemus. Adhuc Prædictionibus Chal-
daicis similes Codices efformarunt *Tonalamatl* di-
ctos, pro futuris tempestatibus enunciandis, præsa-
giendisque rebus Astrologorum genio, quarum
exemplar tabularum Siguenza ipse possedit, ad lit-
teramque excripit in Cyclographia sua, ut habe-
tur in ejusdem *Astronomica Libra* proæmio. Erant
præterea genti Volumina alia hæud minus insig-
nia, quorum aliqua, ceu quæ dicimus Martyro-
logia & Kalendaria sacra, habebantur pro signan-
dis diebus festivis & religiosis: alia, ceu Gene-
tliaca, puerorum natales dies & nomina exhiben-
tia: alia demum Nuptialia seu de ritibus & ce-
remonijs pro inæundis connubijs, ut memoria
prodidit, alios inter, admodum eruditus P. Hie-
ronymus Roman Augustinianus 2. part. Rerum
publicarum Orbis lib. 2. de Indorum Occidenta-
lium Republica cap. 11. 6. fol. 402. *Idem*
Id porro generis Volumina habuerant innume-
ra, quæ cum depictis animantibus, volucribus, her-
vis, floribus, hominibus, plurimisque alijs tetrâ sæpe
numero ac truci figurâ & aspectu feroci constar-
rent, circulisque & notis Hebraicis & exoticis
characteribus quam simillimis, Apostolici viri Ca-
tholice Fidei propagatores, primarijque Mexica-
næ Ecclesiæ satores, rerum signati sub involucris
illis latentium, superstitiosa planè censuere, & pro
gentis usu idolis referta ac dæmonis simulachris,
proptereaque diligenter ubique quaesita, flammis
concredita fuere lacrymabili Antiquitatum Ame-
ricanorum & Historiæ jacturâ, quæ certè fuisset
irre-

irreparabilis, ni Indorū aliqui sacris nostris additi,
nec Scriptorum suorum nescij, clamilla habuiss-
sent, in lucemque non diu post adducta religio-
sis aliquibus Patribus commostrassent & aperuiss-
sent, quibus usui fuere pro Historijs adornandis
plenissimis, Indis ipsis & Mexici & alibi Ame-
ricæ nostræ Œdipos agentibus, & Sphinges ma-
jorum suorum ac Hieroglyphica declarantibus.
Hinc nata fuere duodecim Volumina grandia in
charta Regia à P. Bernardino Sahum Fran-
ciscano elucubrata, quæ sunt Dictionarium Histo-
ricum Mexicano Hispanum copiosissimum, de quo
in loco dicemus; P. Torquemada Monarchia In-
dica, & quam plurimi Libri admodum eruditi,
quos in suis aptè sedibus in Bibliotheca nostra
locabimus. Indorum quòd attinet Bibliothecas mi-
rum non est habuisse multas illos, tot à se pictu-
ratis Voluminibus & Libris instructas. Quarum
argumenta & indices sunt quæ superstites erant
diu post Mexicanam expugnationem flammis sub-
ductæ Eruditorum industriâ Dominorum, qui eas
unàque Historias & Kalendaria sua apud Mexicana
præsertim, Tezcucana, & Tullana domicilia asse-
ruerant, & instructissimo in hisce rebus viro So-
cietatis JESU P. Joanni de Tobar (ni nos con-
jectura fallit) commostrarant & aperuerant, ut scri-
bit P. Acofta in Historia Naturali & Morali In-
diarum hispano sermone conscripta lib. 6. cap.
7. pag. 407 in fine, & 408 in principio. Ha-
rum reliquias Bibliothecarum plures conquirit
& tenuit insignis in paucis Siguenza, de quibus
sæpe in Operibus suis memoriam habet. Nostra
etiam

etiam aetate multa extant Volumina id generis undique collecta, egregia quidem defatigatione & pari conatu, ab erudito viro equite Laurentio Boturini, qui Mexici degens, ea nobis multisque monstravit, & in Catalogo Musæi sui Indici singillatim recensuit. Adhæc: Erant apud Indos nostros Archivia, ut de Jucatanensibus signatim scribit Cogolludo in eorum Historia lib. 4. cap. 5. pag. 186. Oppidum Tixualahitun seu Hispaniarum Septimaneæ Tabularium appellans. Mexicanæ specimen scriptionis per figuras & Hieroglyphica extat typis editus & laminis adornatus Liber, quem à Mexico Pro-Rege ad Carolum V. Cæsarem missum, Mexicano & Hispano Idiomatibus explicatum, interceperunt Galli; Anglicusque factus à Lock, editus fuit à Samuele Purchas in Collectione itinerum relationum que, & Gallicè versus à Melchisedec Tevenoth prodijt anno 1696 in fol. habeturque in hujus relationum tom. 2. part. 4. cui libro titulum dederunt: *Historia Imperij Mexicani figuris representata*. Parisijs apud Sebastianum Mabrec-Tramoyfy. Continentur in eo Libro LXIII Volumina Mexicana, quorum prima duodecim de Imperiali Urbe nostra Mexico agunt ac ejusdem Imperatoribus, & qua eorum quisque epocha rerum potitus est, de subjugatis sibi Provincijs, & rebus id temporis scitu dignioribus. Cætera ad numerum usque 49 vectigalia, idque genus alia tributa Regibus pendendi solita coloratis imaginibus exhibent. Quæ sunt reliqua ad finem usque varijs argumentis coram dandis fuere conscripta. Eorum aliqua præcla-

Historia tres Nefas de la conquista en Jucatan rus

rus eruditionis famâ P. Athanasius Kircherius inferuit *Œdipo suo Ægyptiaco* tom. 3. c. 4. quod seorsim agamus haud ingratum erit aut injucundum.

ANTELOQUIUM III.

Num litteratura Mexicanorum propriè Hieroglyphica dici possit?

Hunc ferè invariatum titulum doctissimus Kircherius dedit capiti 4. *Œdipi Ægyptiaci sive Theatri Hieroglyphici* tom. 3. cujus post exordium capitis inquit: *Porro licet Mexicani characteribus litterisque ut pote Scriptorum artis ignari destituantur; quibusdam tamen picturis mentem suam exprimere conati sunt. Relatisque à se visis Voluminibus, quorum in decursu capitis figuras exprimit laminis & enucleat, subdit: Cum itaque dicti Characteres ex varijs animantium, herbarum, instrumentorum, similibusque figuris constructi sunt, plerique hanc litteraturam profus Hieroglyphicam esse sibi persuaserunt. Verum hanc opinionem falsam esse, ex his qua paulo post adducemus sat superque patebit. Siquidem certum est nihil sub ijs latere arcanis rationibus involutum; sed figura ipsa posita ipsas quasi actiones seu seriem rerum gestarum exprimunt, & non secus ac picturam quandam rei gesta exhibent. Verum ut & hoc loco ad oculum rem demonstremus, nonnullas figuras ex varijs Mexicana Historia Scriptoribus extractas explicandas duxi, ut instituti nostri ratio luculentius patefiat. Tum supputandorum rationem annorum repræsentat, multaque de seculis à Mexicanis computatis apponit,*

*

de

deque mensibus & ijs affinibus. Mox typum exponit Scripturæ Mexicanæ, qua primordia foundationis Mexicæ Civitatis indicantur. Succedit quorundam Mexicanorum Regum Historiæ explicatio. Postremò adicitur Pictura quæ leges pro educandis filijs præscriptas, eorumque educationem ob oculos ponit. Atque ijs demum concludit Mexicanam litteraturam nihilo à rudi pictura discriminari. Gravissimi Kircherij vestigia sectatus est Brianus Uvalthonus Natione Anglus (de quo vide sis Bibliographiam Criticam Hispani eruditissimi P. F. Michaelis à S. JOSEPH Volumine 4. pag. 488) Prolegomeno 2. Bibliæ Poliglortæ à se editæ anno 1660. Cateri verò quos viderimus ea de re Scriptores, litteraturam Mexicanensium tam esse Hieroglyphicam censent quam Ægyptiaca Symbola & Schemata fuere. *Hujus etiam rei* (inquit P. Didacus Valadesius Franciscanus longa eruditus 40 annorum consuetudine cum Indis nostratibus, ijsque proximè consequutis primos Christianis adjunctos, in Rhetorica christiana part 2. cap. 27) *admirabile extat in commercijs Indorum & contractibus exemplum, qui etiam si sine litteris (cujus supra mentionem habuimus) formis tamen quibusdam & imaginibus voluntatem suam vicissim denotabant, quas gestare solent in panniculis bombycinis, papyro bibula ex folijs arborum. Ea consuetudo in hodiernum usque diem in rationum suarum tabulis remansit, non modò ab ignorantibus, verum etiam rectè legendi scribendique (quorum plurimos ad miraculum usque exercitatissimos videas) peritis. Id illis commne fuit cum Ægyptijs qui per ejusmodi quoque figuras sensus mentis effungebant, celeritatem designantes per Accipitrem, vigilantiam per Coco-*

drilum, per Leonem imperium: de quibus vide Orium Apollinem de litteris Hieroglyphicis. Plinium lib. 36 cap. 8. item cap. 11. Meminerunt præterea ejusmodi litterarum Strabo lib. 17. Cornelius Tacitus lib. 13. Cælius Rodiginus Antiquarum lectionum lib. 29. cap. 26. Volaterranus lib. 33. Inter alias etiam effigies Scarabæos, apes, sturvios, boves, vulvures aliaque id genus notare consueverunt. Hæc ille. In eundem sensum communiter alij loquuntur. Rem verò nobis acu tetigisse videtur Franciscus Lopez de Gomara in Hist. Mexicanensi hispanicè scripta fol. 293 edit. Antuerpiensis anni 1554 qui admodum similia Ægyptiacis Hieroglyphicis Mexicana symbola nominat, quæ tamen non adeò ut illa sensum & rem obtegant, tegereque aut possint aut debeant, ea nimirum quæ pro familiari & vulgari commercio sunt instituta. Solennius verò & omnium doctissimè rem enuclearunt præstantes eruditione viri Hispani, qui aureo libro de Origine Indorum à P. Gregorio Garcia Dominicano jam diu elucubrato pretium addidere selectissimis accessionibus, queis in fol. prodijt anno 1729 typis Madritanis Francisci Martinez Abbadi, à quibus aliqua libare non piget tradita pagg. 249. 250. 251. additis opportunè nonnullis. Exploratum quidem est & compertum Hieroglyphica esse signa arcana non cuiusvis obviam, pro ut Joannes Henricus Alstedius in Encyclopediæ omnium scientiarum tom. 4. lib. 35. sect. 14. regulæ instar scribit, atque ad unum omnes ejus rei tractatores habent. Jam verò & si Mexicanensium Symbola pro familiari consuetudine data, & vulgaribus & plebeis etiam nota, Hieroglyphica propriè non fuerint,

runt, restant sanè innumera penè vulgariū, etiam
gentilium, captum exsuperantia, arcanis gr̄vida &
oculis mysterijs. Nec enim picturas inter om-
nibus notas & characteres nullum erat apud In-
dos discrimen, sive efformandi Imagines modum
spectes, sive Artifices, sive usum & finem. Colo-
rata siquidem tabulæ pro Ædium ornatu, quas
Principes viri incolebant, tam erant omnibus nu-
meris absolutæ, graphicèque expolitæ, ut deside-
rari nil posset ulterius, qua erant in arte pingendi
elegantiâ, cujus etiamnum extant documenta
imagines ex versicoloribus plumis distinctæ, mul-
to in pretio apud Europam habitæ & coemptæ. Se-
cus ij agebant qui characteribus scribendis ope-
ram dabant, truciâ valdè & ferociâ exhibentes ido-
la, monstra & id genus alia in propositum sibi
scopum collimantia, & pro varijs Provinciarum
usibus diversa iridem simulacra. Adhæc, cum picto-
riæ arti excolendæ multi ex officio incumberent
pro cujusque indole & genio; Characteres tamen
scribere, Annales condere, sacraque & publica
memoriæ commendare sapientiorum duntaxat erat
& Sacerdotio insignium. Tandem, cum luxui &
ornatui tabulæ picturatae inservirent; colorata ta-
men & Imaginibus distincta Volumina Historias
concernebant, Leges, Sacra, & quæ memorabi-
mus alia, à vulgi captu, nisi Præceptorum vox
accederet, longè remota. Hoc etiam ijs Mexica-
norum Libris pretium addiderat, quod Chrono-
logiam pictis Imaginibus traderent, & exactam
seculorum seriem unâ, cum Historia ob oculos po-
nerent, in quo visi sunt sapientissimos Ægyptio-
rum

rum facilè superasse. Sanè, abstrusa, quibus ute-
bantur, anigmata conspicientes, nisi Ædipus acce-
dat, res penitus latebunt, hærentesque in cortice,
nil præterea mysterij & arcani suspicabuntur. Ec-
quis enim contemplatus spelæa septem virumque
è singulis egredientem, animo concipiat septem
Urbes ad Boream positas, è quibus totidem Nationes
exierint; latèque per Mexiceas effusæ Provincias,
Mexicanum tandem Imperium condiderint? Et hoc
quidem sibi Indi voluere picturâ ista representare.
Idolum pinxere Indos arcu obarmans atque sagiti-
is, unâque rete. Hac significantes Sphingè porten-
dentesque, fore ut pharetris & jaculis Reges subi-
gerent, cum piscatoriam agere viderentur atque
in Lacu confederent Mexicano. Cui non absimi-
les frequentissimè in eorundem Voluminibus ha-
bebantur. Reliquas ut missas faciamus, illam pla-
cet indigitare, quæ extat apud Kircherium in Ty-
po foundationis Mexicanæ Urbis. An is qui depi-
ctam obructur Aquilam expansis alijs insistentem
lapideâ arbori spinis obsitæ (indigenis dictæ *Tu-
nal.*) quæ in medio Lacu visitur, divinare circa do-
centem poterit, id emblema esse Oraculi dati ve-
nientibus olim Indis è septem Urbibus, extruen-
dæ Civitatis *Tenoxitlam*, eò paludis, ubi insiden-
tem arbusculo Aquilam aliquando tandem offen-
derent? Mirum proinde non est, si versatissimus
in extricandis Hieroglyphicis vir, sagacissimus
que Kircherius, nostris destitutus Historijs, & in
eis exercitatorum voce & auxilio, nil præterea
sub eo symbolo subodoratus fuerit, quam quæ ijs
ipse verbis expressit. *L Tenoxitlam, representat arma*

*

qui-

quibus utebantur in acquisitione loci Tunal. N. Aquilam significat, qua ibidem nidulabatur. O Habitationem sive mansionem eorum. Quæ sanè omnia nil acuminis & arcani continere nemini dubium est. At enim secus existimasset vir ad stuporem usque eruditus, si aut Codices eas figuras interpretantes à nostris conscriptos ad manus habuisset, aut vivum Interpretem nactus esset, quo de ijs & cæteris doceretur, in queis facile, citra piaculum quidem, errasse notavit D. Carolus de Siguenza & Gongora, addictissimus si quis ullus P. Kircherio, obiter hæc attingens in Politicarum Theatro virtutum præludio 3. pag. 17. Quod ne pro arbitrio nostro dictum videatur, non abs re erit pauca indigitare ex ijs quæ Kircherius ipse habet tom. 1. Œdipi item Ægyptiaci syntagmate 5. pag. 817. & seq. cap. 5. cujus titulus est: *De Religione Americanorum Ægyptiacæ Parallela*. Multa postquam fusè describit pristinæ Americanorum idololatriæ, Templaque Ægyptiorum exemplo mystica quædam in modum Pyramidum ædificata refert, ac depromptam à Ferdinandi Cortezij scriptâ narratione ob oculos ponit Figuram Fani Horcolivos (lege *Huitzilopochtli*) Numinis Americani; ad extremum subjungit: *Multa mihi hoc loco de mysticis hujus Idoli imaginibus, quarum interpretationem ex PP. nostris Mexicanis percepi, dicenda forent; verùm quando quidem ea alteri loco reservavimus, supervacaneum esse ratus sum, ijs hic diutius inharere. Sufficiat interim hoc loco Americana ad Ægyptiacam idololatriam affinitatem, quo unice collimabamus, demonstrasse.* Hæc Kircherius, è quibus conficimus duo instituto nostro quam opportuna.

Pri-

Primum, mysticas in Mexiceis Idolis agnovisse significaciones, ubi Patres Societatis JESU Mexicanos ea de re loquentes audivit vir doctissimus. Secundum, Mexicanam idololatriam Ægyptiacæ parallelam non dubitasse; quarum cum affinitatem & alij nostrates agnoverint, & præ cæteris compertam habuerit citatus supra, nec sine laude memorandus Siguenza, erutam studio ejus è Mexicanis antiquissimis monumentis authographis, unàque convenientiam & in putandis annis & in habitu & ceterâ consuetudine politicâ & religiosâ, nullus ipse anceps fuit in eorum sententia tutanda, quam multi tenent à se allegati in dicto Præludio, pluribus edocens Mexicanos ab Ægyptijs progenitos, à queis unâ cum sanguine cætera hauserint, & quod propius argumento nostro est, Characteribus Hieroglyphicis litterarum instar fuisse usos. Sed de ijs hætenus. Modò ad alia antiquorum eruditionis Mexicanensium documenta styllum convertamus oportet.

ANTELOQUIUM IV.

Illustria aliquot monumenta traduntur, queis proximè dicta illustrantur atque firmantur, ulteriusque priscorum eruditio Mexicanensium validè asseritur.

JAm verò locupletes dictorum testes asseramus par est. II porro tot sunt, ut multi essemus,